

# **La Pancarte Noire de Saint-Martin de Tours, brûlée en 1793, restituée d'après les textes imprimés et manuscrits, Nr. 38**

Sanctorum Dei memoriis, eorumque ministris, res proprias conferre spes certissima quibuscumque, Domino testante, est in eorum aeternis tabernaculis receptacula sibi praeparare. Igitur ego Ursmarus, Turonicae matris ecclesiae archiepiscopus, dono, trado atque confirmo, confirmatumque in perpetuum esse volo ecclesiae gloriosissimi patris S. Martini, ejusdemque fratribus, proprie disponendi res proprietatis meae sitas in pago Turonico, in vicaria Aguliacinse, in loco nuncupato Villa-Martini, quas de Rotgario praemia donationis atque traditionis acquisivi; hoc est mansellos duos, cum omni sua integritate, domibus videlicet, vineis, virgultis, omnibusque suis adjcentiis, designatis conlimitationibus, sicuti continetur in conscriptione per quam mihi manent in proprietate; eo vero tenore, ut, quandiu ipse advixero, maneant in arbitrii mei dispositione; post vero meum decessum, in Rotgarii et suae procreationis dominatione, ea scilicet ratione, ut annis singulis, tempore obitus mei recordationis, in refectionem fratrum persolvant modios octo frumenti, totidemque vini; post eorum vero decessum, perpetualiter maneant fratrum sancti Martini propriae dispositioni, nullo contradicente, absque ulla exspectata traditione, atque consignatione. Si vero post hanc diem fuerit quaelibet emissa persona, quae circa hanc donationem mea sponte factam calumniam generare tentaverit, quod repetit non vindicet, et insuper cui litem intulerit solidorum D multam coactus exsolvat. Et haec donatio atque traditio, meis vel bonorum hominum manibus roborata, firma et stabilis omni tempore valeat permanere. In Christi nomine Ursmarus, Turonensis archiepiscopus, hanc donationem a me factam. S. Heirardus, in Christo abba. Actardus episcopus. S. Grimaldus, presbyter atque decanus.

Data in mense Junio, anno VI regnante Carolo rege.